In nomine sancte et indiuidue trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Opportet nos qui plus ceteris uidentur possidere in hoc mundo
misericordie operam dare. Videlicet pauperes recreare, monasteria edificare, loca pauperum Christi et ecclesias instruere, eorum necessitatibus
communicare. Ita propterea ego Tarasia bone memorie Alfonsi magni Yspaniarum regis filia, magni comitis Enrici quondam uxor, nunc uero comitis
Fernandi coniux, dei gratia Portugalensis regina a mari oceano usque ad riuulum Spaloshu qui currit inter Tybres et Geurres. Facinorum enim meorum memor et ut mei memoria
in congregatione fidelium perhenniter perseueret, pro salute anime mee et parentum meorum precedentium et subsequentium dono deo omnipotenti et Arnaldo seruo eius et sociis suis et seruientibus
tam presentibus quam futuris locum qui dicitur Rouoyra facta, qui est in monte de Ramo territorio Caldelas. Termini uero loci illius sunt per humanum usque ad Colobrinum maiorem. Deinde per
cubitos de Felgoso et per collem qui est inter Felgosum et humanum, postea per carreyram maiorem que ducit ad nugariam et clauditur per humanum. Tali uero tenore do tibi iam dicto Arnaldo dei
seruo et sociis ac successoribus tuis supramemoratum locum Rouoyra facta, ut nulla ecclesiastica secularisue persona presumat a uobis censum ullum exigere aut forum uel homicidium
uel rausum si infra terminos superdictos ab aliquo fuerit factum, set ubi exsoluetur quicquid ad ius pertinet regium. Nullus denique prepositorum loci illius presumat iam dictum locum de Rouoyra
facta ulli episcoporum seu abbatum aut ecclesie uel monasterio subiugare uel donare. Set si in predicto monte Ramo siue territorio Caldelas seu hunc meliorem inuentus fuerit locus aut a uobis
siue a successoribus uestris ad habitandum, qui melior fuerit ipse fiat caput, cetera uero loca uestra libera sint, capitique honestiori obediant. Quicumque autem uir aut femina mei
generis aut alterius generis hanc mee elemosine cartam irrumpere aut annullare temptauerit et preualuerit, sit anathema maranatha et a matre ecclesia separatus
et cum Iuda domini traditore et cum Datan et Abirone in perpetuum dampnatus nisi satisfecerit et male facta plenarie emendauerit. Insuper exsoluat seruis dei ibidem commorantibus
ac regie potestati duo auri talenta. Atque carta ista indisrupta et illibata perhenniter perseueret. Ego igitur supradicta regina Tarasia tibi domno Arnaldo seruo dei
et sociis ac successoribus tuis ibidem deo famulantibus hanc cartam fieri iussi et una cum uiro meo comite domno Fernando Petri et cum filio meo Alfonso Enriquiz propria ma-
nu roboraui. Facta carta donationis xii k. Septembris Era Mª Cª LXIIª. Regnante regina domna Tarasia in Portugale et limina
usque riuulum Spaloshu. Soror eius regina domna Urraca in Legione et Castella Gallecia Asturiis et Stremadura.

Pelagius dei gratia Bracarensis archiepiscopus capellanus et cancellarius regine conf.

Alus Astoricensis episcopus conf.
Didacus Auriensis episcopus conf.
Alfonsus Tudensis episcopus conf.
Sancius Nuniz conf.

Pelagius Suariz dapifer curie conf.
Ermigius Uenegas signifer conf.
Gueda Menendi conf.
Gomez Menendi conf.
Petrus qui notuit uicibus uestris cancellarii conf.




Menendus ... conf. Sancius Gundisalui conf.
Garsia Uelasquiz conf. Garsia Gundisalui conf.
Uelascus Pelagii conf. Petrus Bidularie conf.
Pelagius Moniz conf. Didacus Pelagii conf.
Archidiaconus Goter in Camilu et Caldelas conf.

Data Allariz

© Archivos Estatales, http://pares.mecd.gob.es